

AUSONE

DE XII CAESARIBUS (138 vers)

## AUSONIUS HESPERIO FILIO S.D.

C1\_1 v.1 Caesareos proceres, in quorum regna secundis  
 2 consulibus dudum Romana potentia cessit,  
 3 accipe bis senos. Sua quemque monosticha signant,  
 4 quorum per plenam seriem Suetonius olim  
 5 nomina, res gestas vitamque obitumque peregit.

## MONOSTICHA DE ORDINE IMPERATORUM

C1\_2 v.1 Primus regalem patefecit Julius aulam  
 2 Caesar et Augusto nomen transcripsit et arcem.  
 3 Privignus post hunc regnat Nero Claudius, a quo  
 4 Caesar, cognomen caligae cui castra dederunt.  
 5 Claudius hinc potitur regno. Post quem Nero saevus  
 6 ultimus Aeneadum. Post hunc tres, nec tribus annis :  
 7 Galba senex, frustra socio confisus inertii,  
 8 mollis Otho, infami per luxum degener aevo,  
 9 nec regno dignus nec morte Vitellius ut vir.  
 10 His decimus fatoque accitus Vespasianus  
 11 et Titus imperii felix brevitate secutus  
 12 frater, quem calvum dixit sua Roma Neronem.

## DE AETATE IMPERII EORUM MONOSTICHA

C1\_3 v.1 Julius, ut perhibent, divus trieteride regnat.  
 2 Augustus post lustra decem sex prorogat annos.  
 3 Et ter septenis geminos Nero Claudius addit.  
 4 Tertia finit hiems grassantia tempora Gai.  
 5 Claudius hebdomadam duplarem trahit et Nero dirus  
 6 tantundem, summae consul sed defuit unus.  
 7 Galba senex, Otho lascive et famose Vitelli,  
 8 tertia vos Latio regnantes nesciit aestas,  
 9 implet fatalem decadam sibi Vespasianus.  
 10 Ter dominante Tito cingit nova laurea Janum.  
 11 Quindecies saevis potitur tum frater habenis.

## DE OBITU SINGULORUM MONOSTICHA

C1\_4 v.1 Julius interiit Caesar grassante senatu.  
 2 Addidit Augustum divis matura senectus.  
 3 Sera senex Capreis exul Nero fata peregit.  
 4 Expetiit poenas de Caesare Chaerea mollis.  
 5 Claudius ambiguo conclusit fata veneno.  
 6 Matricida Nero proprii vim pertulit ensis.

7 Galba senex periit, saevo prostratus Othonem.  
 8 Mox Otho famosus, clara set morte potitus.  
 9 Prodigia succedunt perimendi sceptra Vitelli.  
 10 Laudatum imperium, mors lenis Vespasiano.  
 11 At Titus, orbis amor, rapitur florentibus annis.  
 12 Sera gravem perimunt, set justa piacula fratrem.

## TETRASTICHA

C2\_1 v.1 Nunc et praedictos et regni sorte sequentes  
 2 expediam, series quos tenet imperii.  
 3 Incipiam ab divo percurramque ordine cunctos,  
 4 novi Romanae quos memor historiae.

## IULIUS CAESAR

C2\_2 v.1 Imperium, binis fuerat solemne quod olim  
 2 consulibus, Caesar Julius optinuit.  
 3 Set breve jus regni, sola trieteride gestum :  
 4 perculit armatae factio saeva togae.

## OCTAVIUS AUGUSTUS

C2\_3 v.1 Ultor successorque dehinc Octavius, idem  
 2 Caesar et Augusti nomine nobilior.  
 3 Longaeva et numquam dubiis violata potestas  
 4 in terris positum credidit esse deum.

## TIBERIUS NERO

C2\_4 v.1 Praenomen Tiberi nanctus Nero prima juventae  
 2 tempora laudato gessit in imperio.  
 3 Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro  
 4 quae prodit vitiis, credit operata locis.

## CAESAR CALIGULA

C2\_5 v.1 Post hunc castrensis caligae cognomine Caesar  
 2 successit saevo saevior ingenio,  
 3 caedibus incestisque dehinc maculosus et omni  
 4 criminis pollutum qui superavit avum.

## CLAUDIUS

C2\_6 v.1 Claudius inrisae privato in tempore vitae,  
 2 in regno specimen prodidit ingenii.  
 3 Libertina tamen nuptarum et crimina passus  
 4 non faciendo nocens, set patiendo fuit.

## NERO

C2\_7 v.1 Aeneadum generis qui sextus et ultimus heres,  
 2 polluit et clausit Julia sacra Nero.  
 3 Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitae.  
 4 Disce ex Tranquillo : set meminisse piget.

## GALBA

C2\_8 v.1 Spem frustrate senex, privatus sceptrum mereri  
 2 visus et imperio proditus inferior.  
 3 Fama tibi melior juveni : set justior ordo est  
 4 complacuisse dehinc, displicuisse prius.

## OTHO

C2\_9 v.1 Aemula polluto gesturus sceptra Neroni  
 2 obruitur celeri raptus Otho exitio.  
 3 Fine tamen laudandus erit, qui morte decora  
 4 hoc solum fecit nobile, quod periret.

## VITELLIUS

C2\_10 v.1 Vitae sors, mors foeda tibi, nec digne, Vitelli,  
 2 qui fieres Caesar : sic sibi fata placent.  
 3 Umbra tamen brevis imperii, quia praemia regni  
 4 saepe indignus adit, non nisi dignus habet.

## VESPASIANUS

C2\_11 v.1 Quaerendi adtentus, moderato commodus usu,  
 2 auget nec reprimit Vespasianus opes.  
 3 Olim qui dubiam privato in tempore famam,  
 4 rarum aliis, princeps transtulit in melius.

## TITUS

C2\_12 v.1 Felix imperio, felix brevitate regendi,  
 2 expers civilis sanguinis, orbis amor,  
 3 unum dixisti moriens te crimen habere ;  
 4 set nulli de te, non tibi credidimus.

## DOMITIANUS

C2\_13 v.1 Hactenus edideras dominos, gens Flavia, justos.  
 2 Cur duo quae dederant, tertius eripuit ?  
 3 Vix tanti est habuisse illos, quia dona bonorum  
 4 sunt brevia, aeternum, quae nocuere, dolent.

## NERVA

C2\_14 v.1 Proximus extincto moderatur sceptra tyranno

2            Nerva senex, princeps nomine, mente parens,  
 3        Nulla viro suboles ; imitatur adoptio prolem,  
 4        quam legisse juvat, quam genuisse velit.

## TRAIANUS

C2\_15    v.1    Adgreditur regimen viridi Trajanus in aevo,  
 2            belli laude prior, cetera patris habens.  
 3            Hic quoque prole carens sociat sibi sorte legendi,  
 4            quem fateare bonum, diffiteare parem.

## HADRIANUS

C2\_16    v.1    Aelius hinc subiit mediis praesignis in actis :  
 2            principia et finem fama notat gravior.  
 3            Orbus et hic : cui junctus erit documenta daturus,  
 4            adsciti quantum praemineant genitis.

## ANTONINUS PIUS

C2\_17    v.1    Antoninus abhinc regimen capit : ille vocatu  
 2            consultisque Pius, nomen habens meriti.  
 3            Filius huic fato nullus ; set lege suorum  
 4            a patria sumpsit, qui regeret patriam.

## M. ANTONINUS

C2\_18    v.1    Post Marco tutela datur, qui scita Platonis  
 2            flexit ad imperium, patre Pio melior.  
 3            Successore suo moriens, set principe pravo,  
 4            hoc solo patriae, quod genuit, nocuit.

## COMMODUS

C2\_19    v.1    Commodus insequitur pugnis maculosus harenæ,  
 2            Thraecidico princeps bella movens gladio,  
 3            eliso tandem persolvens gutture poenas,  
 4            criminibus fassus matris adulterium.

## HELVIUS PERTINAX

C2\_20    v.1    Helvi, judicio et consulto lecte senati,  
 2            princeps decretis prodite, non studiis.  
 3            Quod doluit male fida cohors, errore probato,  
 4            curia quod castris cesserat imperio.

## DIDIUS IULIANUS

C2\_21    v.1    Di bene, quod spoliis Didius non gaudet opimis

2            et cito perjuro praemia adempta seni.  
 3        Tuque, Severe pater, titulum ne horresce novantis :  
 4            non rapit imperium vis tua, sed recipit.

## SEVERUS PERTINAX

C2\_22    v.1    Impiger egelido movet arma Severus ab Histro,  
 2            ut parricidae regna adimat Didio.  
 3        Punica origo illi ; set qui virtute probaret  
 4            non obstar locum, cum valet ingenium.

## BASSIANUS ANTONINUS SIVE CARACALLA

C2\_23    v.1    Dissimilis virtute patri et multo magis illi,  
 2            cuius adoptivo nomine te perhibes,  
 3        fratris morte nocens, punitus fine cruento,  
 4            inrisu populi tu, Caracalla, magis.

## OPILIUS MACRINUS

C2\_24    v.1    Principis hinc custos sumptum pro Caesare ferrum  
 2            vertit in auctorem caede Macrinus iners.  
 3        Mox cum prole ruit. Gravibus pulsare querellis  
 4            cessen perfidiam : quae patitur, meruit.

## ANTONINUS HELIOGABALUS

C2\_25    v.1    Tune etiam Augustae sedis penetralia foedas,  
 2            Antoninorum nomina falsa gerens,  
 3-4        [lacune]